



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Marcvlfī Monachi Formvlarvm Libri Dvo

Marculfus <Monachus>

Paris, 1635

X. Tracturia pro itinere peragendo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10644

siue ante omnes iudices quibus hoc officium delegatum est, vt causationes & lites definire & terminare iustè & rationabiliter debeant, & quicquid legibus cum iustitia, vnde profecutus fueris & definieris, scito apud meratum & acceptum, atq; inconuulsum mansurū. Quod mandatum in te conlatum, vt firmum fixumque permaneat, manu propria subterfirmaui, & qui adfirmare deberent rogauī.

X. *TRACTVRIA PRO ITINERE PERAGENDO.*

DOminis sanctis & Apostolicis sedibus, allocatis, Episcopis, Abatibus, vel Abatissis, & omnibus in Christo patribus: Ducibus, Comitibus, Vigariis, Centenariis, & Decanis, vel omnibus in Christo credentibus, & Deum timentibus, Ego in Dei nomine ille, ac si indi-

gnus peccator, vltimus omnium
seruorum Dei seruus, Episcopus vi-
delicet, siue Abas de ciuitate illa, vel
de monasterio illo, vbi pretiosus il-
le martyr seu confessor Christi hu-
matus in corpore requiescit, Salu-
tem vobis perennem in Domino
destinare curauimus. Cognoscatis
siquidem domni & sancti patres,
seu & sorores in Christo, quia inno-
tescimus vobis eò quod peregrinus
iste, nomen ille, ex genere illo, ad
nos venit, & nobis innotuit, atque
consilium quæsiuit, de hoc videli-
cet facto quod instigante aduersa-
rio, peccatis facientibus, proprium
filium suum, siue nepotem nomine
illum interfecit: Et nos pro hac cau-
sa secundum consuetudinem, vel
canonicam institutionem diudica-
uimus, vt in lege peregrinorum ipse
præfatus vir annis tot in peregrina-
tione *permanere* deberet. Propterea

cognoscatis, sanctissimi patres, has litteras, ut quando ad sanctitatem vestram venerint, melius ei credatis: Et quod nullatenus pro alia causa ambulare dinoscitur, nisi sicut superius diximus, pro peccatis suis redimendis, ut vos eum nullo modo teneatis, nisi tantum quando ad vos venerit, mansionem ei & focum, panem & aquam, largire dignemini. Et postea sine detentione liceat ei ad loca sanctorum festinare. Sic exinde agite pro amore Dei & reverentia sancti Petri, sanctissimi patres, ut vos pius Dominus in illa beata seu immortalis vita remunerare dignetur, quia in ipso peregrino Christum pavistis seu suscepistis, considerantes videlicet quod ipse Dominus dixit, *hospes fui, & suscepistis me, Quod vni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis.* Quid plura ad sapientes: sufficit semel loqui. Commem-

damus nos obnixè in vestris sacris precibus, vt nobis commendari dignemini in Christo feliciter, sanctissimi patres, vt ad æternam angelorum digni habeamini mansiorem perpetuam.

XI. *CESSIO AD ECCLESIAM
à nouo edificatam.*

REgnante Domino Iesu Christo in perpetuum, ego ille Episcopus. Omnibus non habetur incognitum, qualiter ego auxiliante Domino, in pago, in villa cuius vocabulum est, ibi basilicam sancti.... atque sancti Stephani, vel in honore cæterorum sanctorum, quorum ibidem reliquiæ quiescunt construxi, atque KL. Iunij dedicari curavi, consentientibus etiam cõfratribus, tam canonicis, quàm & monachis, vel cæteris hominibus, qui præsentibus fuerunt, vt villæ quarum voca-